



**A**mbrosius Constantiæ ex nobili familia natus & educatus est. Is cum felici ingenio conspicuus esset, à pueris operam literis dedit, et liberales artes feliciter percepit. Postea sese Alberspachium Vuitenbergicæ ditionis monasterium contulit, atque eum ordinem suscepit. Cum autem ingenio ualeret, lectis Lutheri libris alium animum induit, & post multam similitatem, relicto sodalitiò, ad parentes atq; propinquos reuertit, anno 1523. Cum autem eo tempore Ferdinãdus Austriacus eum principatum obtineret, abbas per eius regionis præfectum interpellat Senatum Constantiensem, utilium ad ordinem suum redire cogat. Blaurerus au-

tem edito scripto rem omnem antea factam commemorat, & conditiones proponit, quibus redire uellet. hæc tales erant, ut eas repudiante abbate, Constantiæ deinceps ille permaneret, atq; libris inhæreret. Postea uerò Bernensis disputatio exorta fuit 1528. In eo loco Blaurerus nomine sui magistratus comparuit, atq; Lutheri doctrinam defendendo pontificijs fortiter restitit. post eam disputationem ut Bernæ, ita & Constantiæ imagines & aræ cum cæremonijs & Missa fuerunt abolitæ, ipseq; Ambrosius Ecclesiastes constitutus. Anno deinde 1531, cum Vlmenses suæ ditionis Ecclesias reformarent, Blaurerus cum Bucero & Oecolampadio nouam religionis formam conscripsit, & Euangelicæ doctrinæ ibidem initia fecit. Postea Ambrosius magna dexteritate Euangelium diu docuit, & cum fratre Thoma uiro prudentissimo, eius loci consule, in patria magnam sibi auctoritatem comparauit. Deinde cum Vuormatiæ 1540 colloquium religionis esset institutum, Blaurerus interfuit, & sese pontificijs pro more fortiter opposuit.